



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

14. Deliberatio de statu vitæ quando, & quomodo instituenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

repudio, conformans me per omnia voluntati tuæ. Domine mi, tolle à me quicquid tibi displicet in me, & da mihi quicquid tibi placet: dirige & posside me secundum beneplacitum tuum, Amen.

PARS XIII.

Deliberatio de statu vitæ, quando & quomodo instituenda.

HI s quæ diximus de oratione vocali & mentali, & de deuotione, merito subiiciemus deliberationem status, in quo quisque reliquam vitam decurrere velit. Maximoperè enim conducit adolescentibus maturè, aut certè non nimium tardè constituere secum quo in genere ac statu velint totum vitæ tempus transigere, ac denique mortem Christianam obire. In primis igitur adolescens existimare debet, in hac electione, cardinem totius vitæ, atque omnium actionum, ipsiusque æternæ vitæ verti. Deinde verò persuadere sibi debet inquirendam, atque intelligendam Dei voluntatem, num in hoc, aut illo statu velit Deus salutis nostræ negotium nos agere. Perspicuum enim est non omnes à Deo ad vnum, idemque vitæ genus vocari. Terriò denique hæc deliberatio non leui & præpropere

*In delibera-
tione vitæ
cardo salu-
tis vertitur*

propere, sed maturo consilio, neq; tamen nimis tardo suscipienda est.

Triplex autem via est; siue triplex status in quo ad Deum perducimur. Sunt semitæ arctæ & angustæ; sunt latæ & spatiosæ; sunt & mediæ. Arcta est semita, paupertatis, castitatis, & obedientiæ professio. Lata & spatiosa, quæ diuinis mandatis constat, hisq; absoluitur. Media ex his mixta, quæ nec mandatis contenta est, nec consilijs omnibus inhæret, sed quædam amplectitur, & quædam non. Quosdam ad arctam capeffendam semitam diuina lux inuitat, quosdam ad latam, quibusdam vt in media sese teneant, monstrat. Sed fit iam nescio quibus modis, vt quos monstrante luce, quæ cœlitus menti infunditur, arctam religionis capeffere oportebat, latam, coniugij scilicet, ingrediantur; & quos in lata consistere, mediam, cælibem nimirum in seculo inuadant, inuertanturq; omnia; unde in seculo naufragium patiantur, qui in religione naue incolumi portū tenuissent, & in religione submergantur, qui in seculo enataffent; & in mixta via, quæ est cælibum, siue Ecclesiasticorum, siue seculariū, pereant, qui in lata, vel arcta emerfissent. Quocirca pro ratione harum viarū trium, tres dabimus admonitiones dignissimas quæ expendantur.

Triplex status seu via, in qua ad Deum perducimur.

PARS